

bonis, tam pauca fecisset bona, tam multa perpetrasset mala; quod faciebat S. Franciscus, cum se furibus et latronibus pejorem dicebat. Quibus si jungas veteres culpas etiam condonatas, apostoli exemplo dicentis etiam postquam misericordiam consecutus esset: *Ego sum minimus apostolorum, qui non sum dignus vocari apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei*, I. Cor. XV. habebis affatim, cur oculos demittas.

Secundo, noli attendere laudes tuas, si forsitan a quopiam lauderis: noli cum Phariseo ad cœlum oculos levare; cum pavone ad pennas: sed demitte potius ad vitia et miseras tuas expendendas. Sicut puella nobilis et dives, pede tamen claudicans, non tam attendit ad genus et dotem suam, quam ad defectum, nec facile superbit. Impense igitur laudatus cogita et responde: primo, plus esse in te vituperio, quam laude dignum: secundo, aliud esse Dei iudicium, aliud hominum, persæpe laudantium, quod ille reprobatur. Quam multi cum doctore illo Parisiensi ad iudicium ex inferno venient, qui in mundo probatissimi videbantur? Multa concurrere debent ad hoc, ut bonum sit vere bonum et meritum apud Deum; quia bonum est ex integra causa, malum ex quolibet defectu: sicut longe citius aberratur a scopo, quam is tangitur. Ad hæc si compares, opus tuum, propter quod laudaris, cum operibus sanctorum, et cum obligatione tua, exiguum esse reperies. Unde cum S. Joannis Eleemosynarii effusam in pauperes liberalitatem laudaret quispiam pauperum ac suspiceret, in more habebat dicere: *Frater, nondum pro te sanguinem fudi sicut mandavit mihi Dominus*.

IV. Confessus est suam miseriam, peccatorem se vocando, Dei gratia indignum: *Deus propitius esto mihi peccatori*. Sic tu in sermone primo, deprome infirmitates tuas, non virtutes. Imprimis vero in confessione peccata tua fideliter enuntia, ut justificeris et saneris, siquidem id præcepit Christus, cui in hac præsertim re non obedire, immanis est superbia. Dic enim mihi, si reus aliquis incarceratus sciret, facinora sua constare iudici, et iudex aliud ab eo non peteret, quam ut reus facinora sua recenseret ejus famulo, moxque dimissionem promitteret; annon insana foret rei superbia, si scelera sua, iudici prius nota, dicere servo nollet? Non minor est superbia nolentis confiteri. Cum enim sciamus Deo perfectissime constare omnia nostra crimina, ipsaque pro condonatione eorum aliud non petere, quam ut ejus servo, sacerdoti, eadem enuntiemus: quomodo non intoleranda erit nostra superbia, si confiteri renuamus?

Deinde, deprehensus in delicto, cave id propugnes: sed magis fatere, et age gratias, licet superior non sit, qui corrigit; non secus ac si de facie macula admonitus esses. Quare Ludovicus IX. Franciæ rex morti proximus filio suo dixit: *Ita te geras, ut confessarii et necessarii tui libere te admonere possint mali*. S. Chrysost. admonitus a vetula de moderanda concionum subtilitate, gratiam ei habuit, et stylum mutavit: Philippus Macedo a servo de indecora sessione in aurem monitus, servum in amicitiam accepit: Antigonus a privato Atheniensi de barbara locutione reprehensus, non excanduit ob censuram, nec tuendum suscepit barbarismum, sed maxima frumenti copia censorem remuneravit. Nimirum agnoverunt isti stultum esse, tueri vel inficiari errorem suum.

Tertio, de seipso modeste, de aliis honorifice loquitur: non ita Phariseus, qui de se magnifice, de Publicano loquebatur despecte. Excelluit in hoc humilitatis actu David, qui Saulem licet inimicum honorifice semper nominabat *dominum suum, et christum Domini*, imo et *patrem suum*, seipsum vero *canem mortuum, et pulicem unum*, I. Reg. XXIV. Cave tamen affingas tibi falsa crimina. Etenim August. serm. XXXIX. de verbis apostoli ait: *Cum humilitatis causa mentiris, si non eras peccator, antequam mentireris, mentiendo efficeris, quod evitaveras. Veritas in te non est, nisi ita te dixeris peccatorem, ut etiam esse agnoscas*. Hæc ille. Cave etiam vera narres, quibus alios scandalizes: multo minus teipsum iniquis peccato, quo vilescas apud homines.

Porro ignobilitatem tuam libere confitere. Sic Agathocles rex Siciliæ, figulo patre natus, cum factus esset rex, abacum suum fictilibus vasis instruebat, teste Ausonio, vel saltem inter aurea etiam fictilia ponebat: Augustus Cæsar nihil amplius, quam equestri familia veterem se ortum scribit, apud Sueton. Lescus ex aurifabro rex Poloniæ factus, assidue sibi produci crassos pannos in aspectum jussit, quibus prius induebatur, apud Cromerum: Viligisus archiepiscopus Mogunt. ex filio rhedarii episcopus factus, rotam pro insignibus assumpsit, quo pristinae conditionis memor esset, quæ etiamnum archiepiscoporum illorum insigne est.

Quarto, teipsum ne commendes aut jactes, gallinæ instar, quæ dum ovum suum, quod posuit, glocitando prodit, perdit. Sic Phariseus merita sua dum deprædicat amittit: Publicanus contra, dum nullius meminit, absque dubio tamen aliquid habuit meritum, quod adauxit. Phariseum imitantur novatores, qui ridicule et intempestive suas sententias aspergunt Græcis

vocalis, sicque vanissimo araneorum reti vanas venantur muscas.

Minus adhuc te commendaveris meritis ad te non pertinentibus: *Quid enim, quæso, ad nos majorum virtutes, si ignavi fuerimus?* inquit S. Greg. Naz. in monodia. Nec denique, ex abrupto et sine proposito te verbis ullis deprimas, sed occasionem expecta; ut cum deferuntur tibi munera publica, quibus imparem te sentis et indignum. Tunc enim dicere posses cum Hieremia, c. I. A, a, *Domine Deus, ecce nescio loqui, quia puer ego sum*. Ad hæc modum quoque observa, ut non nimium te deprimas cum Socrate, qui dicebat: *Hoc unum scio, quod nihil scio*. Fætet siquidem mendax sui dejectio. *Sapientia est*, inquit Lactantius, I. III. de falsa sap. c. VI. *ut neque te omnia scire putes, quod Dei est; neque omnia nescire, quod pecudi. Est aliquid medium, quod est hominis, scientia videlicet cum ignorantia temperata*. Hæc nisi observaveris in suspicionem affectatæ laudis incidis, et potius te commendare vel vituperare velle iudicaberis; quemadmodum Laertius, cum aliquando adolescentes Rhodios elegantiori cultu incedere conspexisset: *Hic fastus est*, dicebat. Quod animadvertentes juvenes, substricta tunica parce sordideque amicti incedebant. Quibus visis Laertius: *Et hic fastus est*, dicebat, Maiol. tom. II. canic. col. II.

V. Percutiebatur pectus suam. Sic tu externe quoque præ te fer humilitatem; et imprimis puni errata tua cum Publicano tusionibus pectoris et oculorum abiectione, cum Magdalena lacrymis, humicubationibus cum Achab in sacco et cilicio. Demonstra in vestitu, inessu, obsequio, oratione, etc. humilitatem: et hoc serio: *Est enim qui nequiter se humiliat*, Eccl. IX. Potest quidem in ornatiore vestitu latere humilitas, ubi tamen is superfluum est, et non necessarius ad status dignitatem conservandam, superbiam infus latentem prodit. Quomodo enim humilem dicam, qui cristatus, gladius, ocreatus accedit in templum, ad confessionem, eucharistiam, supplicationem, etc. qui ante s. eucharistiam, genua non flectit, manus non erigit, ad s. hostiæ elevationem pectus non tundit, in confessione et communione oculos non deprimat, sed undique circumfert.

Secundo, ut quæras humanum applausum ob ea, quæ in te cernis merita vel excellentias. Sic ait S. Job, c. XIII. *Si osculatus sum manum meam, id est, si meipsum honoravi, aut gloriam meam procuravi*. Constantinus M. imp. cum tam multa et insignia templa ad honorem Dei et sanctorum tum Romæ, tum in aliis plurimis orbis Romani locis, maximis impensis erexisset, in nullo ta-

men ipsorum nomen aut insignia sua adscripsit aut affixit. Trajanum imper. quod singulis operibus suis nomen affixisset suum, *herbam parietinam* vocabant, quod passim reperiretur, muris adhærens, Bar. an. Christi 324.

Rursum titulos tibi indebitos ne admittas. Alexander M. ab adulatoribus Jovis filius dictus, sagitta percussus ostendit eis se mortalem: Canutus Anglorum rex adulatoribus suis dicentibus, quod omnia ejus imperio ad nutum parerent, sedem suam ad littus maris posuit, ibique mari præcepit, ne contra se excurreret, et regiam vestem contaminaret; sed mari jussa spernente: *En*, inquit *quam ego omnibus imperito? Quin sciant omnes, qui terram incolunt, vanam et falsam esse regum potentiam; atque unum eo nomine dignum, qui vere imperium inhihet celo, terræ, mari, apud Tympe. in spec. magistr. fig. LXXXVIII.*

CONCIO VIII.

ARGUMENTA, CUR REDDENDE DECIMÆ.

I. Lex naturæ. — II. Lex vetus. — III. Lex nova. — IV. Lex justitiæ. — V. Gravitas peccati, cum surripiuntur. — VI. Pœnæ fraudatorum. — VII. Retributio multiplex.

THEMA.

Decimas de omnium, quæ possideo. Luc. XVIII.

Nihil auditores, magis necessarium videtur esse domui, quam tectum: et nihil interim periculosius, quam tegulas et tectum domibus imponere; lapsus namque ex alto perpetuo timendus. Quod de tecto domus dixi, idem mihi dicendum de decimis videtur. Nihil in re temporaria magis necessarium sacerdotibus, quam decimæ; inde enim communiter illorum victus et vestitus, totaque sustentatio provenit ac pendet. Interim tamen fatendum, nihil ipsis periculosius esse quam de decimis concionari. Incipiat enim parochus adhortari parochianos suos, ut fideliter reddant decimas, illico adsiliet tota rusticorum cohors, et suggillabit pastorem suum, qui ad rem suam nimium attendat, et avaritiæ aestu flagrans quærat tantum: *Quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi*. Quid agat igitur sacerdos? Nisi quærat decimas suas non habebit, unde vivat, et a multis decipietur, non sine gravi fraudantium peccato: si quærat, avarus audiet. Quare sicut ædium dominus non ipse ascendit tectum suum, ut tegulas ei imponat, sed constituit murarium hujus artis gnarum: ita nos sacerdotes, non ipsi decimas nostras per concionem requiremus,

sed alteri rerum perito hoc munus demandabimus. Igitur opportune occurrit nobis Pharisæus in hodierno evangelio, qui loco sacerdotum concionatur suo exemplo, et provocat ruricolos ad reddendum debitum, cum inter alia justitiæ opera et istud de se recenset: *Decimas de omnium, quæ possideo*. Et si istud Pharisæus, cur non Christianus? Dicit ergo Pharisæus, quibus argumentis moveri homines debeant ad reddendas decimas.

I. Lex naturæ. Si enim natura doctrine scimus, obligari nos tribuendum Cæsari censum, et fructuum quotam domino pro loco fundi, aut domus, quanto magis Deo obligabimur, a quo omnia habemus? Solent sæpe domini tradere ruricolis suis agros pro tertia fructuum parte colendos: Deus ejus sunt omnia, quibus fruimur, non nisi decimam petit. Meretur autem perdere agrum, aut prædium, qui non reddit censum; ita et bona sua, qui Deo non dat decimam. Cæsari quoque velut supremo nostro domino, nonne tributum reddimus, (licet ab eo fundum non habeamus) in recognitionem subjectionis? Cur ergo non Deo? Ad hæc illis solemus primos fructus tradere, qui agrum stercorarunt nostrum: a Deo autem quid non habemus? Habemus terram, semen, solem, pluviam, equos et boves: cur ergo partem ei non tribuimus suam, tot debitam titulis? Hinc etiam animalia quædam, ciconiæ et hirundines, quia per æstatem utuntur ædibus nostris, quasi in compensationem dejiciunt prolem unam, quam nos ideo vocamus *decimam*: atqui nos terræ incolæ nonne semper utimur Dei domicilio? Refert etiam Ælianus, l. IV. c. LII. in Lybia animal esse, cujus nomen needum cognitum; quod, cum venatu vivat, in undecim partes prædam semper dividit, decem quidem comedens, undecimam vero relinquens. Quanto igitur deteriores homines, qui decimam non dant Deo! Accedunt item gentiles aliqui; nam Romanos decimam dedisse Herculi, tradit Cic. l. II. de offic. et l. III. de nat. deor. Arabes, ut scribit Plin. l. XVII. c. XIV. deo Sabi decimas thuris dabant, quas ejus sacerdotes capiebant; Æthiopes etiam auctore eod. l. XII. c. XIX. deo Assabino seu Jovi decimam cinnamomi dabant, quam sacerdos hasta dividebat a reliquo. Quid igitur? Num Christiani gentilibus deteriores sint?

II. Lex vetus, Deut. XIV. *Decimam partem (loquitur Deus ad populum) separabis de cunctis fructibus tuis, qui nascuntur in terra per annos singulos*: et Lev. XXVII. dicitur: *Omnes decimæ terræ, sive de pomis arborum, sive de frugibus, Domini sunt, et illi sanctificantur*: et Num. XVIII. *Filiis*

autem Levi dedi omnes decimas Israelis in possessionem pro ministerio, quo serviunt mihi in tabernaculo fæderis. Et sane præceptum de decimis replicat sæpius in veteri lege Deus. Quid ita? Nè forte, si sacerdotes et levitæ de decimis sæpius prædicarent, id cupiditatis et commodi sui causa facere viderentur. Multi dicunt: Non possunt sacerdotes nisi de decimis concionari. Charissimi, si non vultis audire sacerdotes, audite concionantem vobis Deum. Accedunt ss. pp. exempla, qui in decimis dandis laudantur a sacris litteris. Abraham imprimis, qui de pugna victor rediens, et sacerdoti Melchisedech obvians, decimas ei dedit ex omnibus quæ acquisivit, Gen. XIV. nepos ejus Jacob, Gen. XXVIII. vovit Deo: *Cunctorum quæ dederis mihi, decimas offeram tibi*: Tobias, c. I. laudatur, quia omnia primitiva sua et decimas suas fideliter offerebat: quibus accedit Pharisæus iste qui audet coram Deo quasi gloriari, quod decimas daret omnium, quæ possidebat, quod quidem gloria dignum erat, nisi ipse vanus sui ipsius præco fuisset.

Sed cur primitias (antiquo jure) et decimas, ais, dare jubemur, non secundas aut undecimas? Ratio prima, quia cum denarius sit numerus perfectus, omnes in se numeros claudens, qui ab uno incipit et desinit in denario: Deus autem sit principium honorum, a quo omnia, et finis eorumdem, in quem omnia tendunt, idcirco in subjectionis nostræ recognitionem et primitias solvimus Deo et decimas. Deinde, quia a Deo habemus, quod boni esse incipimus, et quod tales ad finem usque perseveramus. Tertio, juxta S. Th. II. II. q. LXXXVII. a. I. quia denarius numerus perfectionis est, ultra quem nec ingenium, nec natio aliqua alium excogitavit, ut ait Francisc. Venet. cant. to. IV. c. XXXIII. quia ulterior non datur. Idcirco ut homo suam perfectionem a Christo expectandam sciret, decimæ decreta. Quarto, quia homo est decima pars rationalium creaturarum, cum sint novem angelorum chori: homo decimus cælo destinatus, ut sciremus operibus nostris promerendam esse decimam cælorum sedem. Ideo S. Aug. serm. de decim. ait: « Attende quod creatura decima inter intellectuales creaturas est homo, quia angeli in novem ordinibus, decimus autem ordo est hominum. Et ideo hominis decimam solvere, ut ruinam angelorum valeat supplere. »

III. Lex nova: *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari; quæ Dei, Deo*, ait Dominus. Dicitur autem in veteri lege, Lev. XXVII. *Omnes decimæ terræ Domini sunt, et illi sanctificantur*. Atqui id quod semel Deo sanctificatur, Dei semper manet, can. *Quæ semel*, c. XIX. q. III. Hoc etiam ex Domini

sententia præceptum esse testatur Paulus, I. Cor. VIII. dicens: *Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt? Et qui altari deserviunt, cum altari participant? Ita et Dominus ordinavit iis qui evangelium annuntiant, de evangelio vivere*. En Domini ordinationem, quæ sine dubio ad decimas, primitias et oblationes dirigitur. Datas autem esse a primis Christianis decimas, quibus non modo clerici, sed etiam pupilli, viduæ ægrotantes, peregrini, incarcerati, exules causa fidei, ad metalla damnati liberaliter alerentur, testantur antiquissimi pp. Tertullianus, Cyprianus, Clemens, II. constit. XXIX. XXXVIII. XXXIX. Damasus item papa, ut habetur in ejus actis, præcipit decimas dari et primitias, et qui detractarent, anathemate feriri. Et sane in Clem. *Cupientes* de pœnis, præcipitur sub interminatione maledictionis æternæ, omnibus Mendicantibus ut a prælatis Ecclesiarum requisiti moneant populum ad reddendas decimas, eisdemque in confessionibus conscientias faciant. Et si hoc facere nolint, aut contrarium prædicent, suspensi sint et excommunicentur.

Sed unde, inquires, est quod laici decimas possideant? Sane hoc scripto jure non continetur. Contingit igitur id duplici de causa: tum quia tempore Caroli Magni crebræ erant cæterarum nationum irruptiones, quibus uti regii præfecti resistere possent, militibus inde sumptus faciebant: deinde, quia pontifices non satis fidebant se posse tueri jura sua a laicis principibus, dedisse eis videntur partem decimarum per speciem feudi et beneficii, malentes amittere dimidium quam totum. Inde factum ut a principibus transirent in ministeriales et equestres ordines, uti scribit Albert. Cranzius, metrop. lib. I. c. II. hinc Fridericus I. imp. in comitiis Geilenhusæ habitis ait: « Quod ad vos pertinet pontifices, arbitratu papa indignum, decimas, quæ in altaribus et personis ecclesiasticis dedicata noscuntur, a laicis obtineri, nec vult intelligere olim Ecclesias variis afflictionibus laborantes a laicis personis defensas, tum in beneficium remunerationis, quas abunde tenuerunt, decimas in parte dimissas. Et quomodo indignum judicabitur, si quis Ecclesiæ stipendio foveatur? » Hæc apud Cranz. I. VI. c. LII. Sax. Sed objici posset imperatori, habuisse etiam Judæos sua et frequentissima bella, nunquam tamen ademisse laicos levitis decimas. Et certe si cessante causa cessat effectus, videntur decimæ tempore illo quo cessabant pericula, dimittendæ fuisse a laicis. Argumento est Carolus Martellus Franc. rex, Caroli Magni avus, qui cum decimas impetrasset a papa, easque proceribus Franciæ assi-

gnasset, eo quod duobus præliis innumeros Saracenos fudisset, qui ex Hispania in Galliam irruerant, et templa diripiebant; sancte rex juravit, se eas Ecclesiæ redditurum, aut certe re æquivalenti compensaturum, quod tamen non præstitit. Unde scribit P. Æmilius, l. II. de reb. gest. Francor. ejus corpus sepultum in æde S. Dionysii, post aliquot annos inventum non esse, sed ejus loco serpentem immanem in sepulero ejus repertum, et credidisse tunc multos, eum corpore et animo damnationi datum. Eo maxime, quia Eucherius Aurelianensis episcopus testabatur, se vidisse illum per quietem, in æternis suppliciis tortum.

Cæterum remissæ et limitatæ sunt paulatim multis modis decimæ. Nam neque primitiæ amplius exiguntur, neque decimæ personales, quæ in Ecclesia olim pendebantur ex lucro acquisito per scientiam, per militiam, negotiationem, opificium, venationem, piscationem, officium regiminis, servitium, fœnum, lanam, apes, furnos, argenti fodinas, lapidicinas, metallinas, collectam doctorum, per advocacionem, mercedem mercenarii et generaliter de omni lucro licito; ut patet ex c. *Multipliei*, cum quatuor seq. de decimis: mixtæ, quæ scilicet de pecoribus magna ex parte remissæ sunt. Exiguntur nunc fere prædiales tantum quæ tamen ab aliquibus difficulter sæpe penduntur, quæruntur fraudes, exemptiones, consuetudines, etc. Totam manum ab Ecclesia petunt, quæ digitum porrexerit.

IV. Justitiæ lex. Graviter hæc de re scribit apostolus; I. Cor. IX. contra eos qui clericis objiciunt eorum redditus: (argumentantes ex illo Matth. X. « Gratis accepistis gratis date. ») Ita enim ait: « Mea defensio apud eos qui me interrogant hæc est. Numquid non habemus potestatem manducandi et bibendi? Quis militat suis stipendiis unquam? Quis plantat vineam, et de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem, et de lacte gregis non manducat? Numquid secundum hominem hæc dico? An et lex hæc non dicit? Scriptum est enim in lege Moysi: Non alligabis os bovi trituranti. Numquid de bobus cura est Deo? Annon propter nos utique hoc dicit? Nam propter nos scripta sunt. Quoniam debet in spe, qui arat, arare: et qui triturat, in spe fructus percipiendi. Si nos vobis spiritualia seminavimus; magnum est, si nos carnalia vestra metamus? Si alii potestatis vestræ participes sunt, quare non potius nos? » En copiam argumentorum: primum ducitur ex debito mercedis, quod clerici pro laicis militent armis spiritualibus contra potestates tenebrarum, orationibus, sacrificiis, et concionibus suis: et ita

quodammodo sint boves eorum, ipsis arantes et triturantes. Quid igitur vos laici? Num alligabitis os bovi trituranti? Militi pro vobis praelianti? Secundum, ex titulo gratitudinis. Pascunt enim ecclesiastici laicos sacramentis et verbo Dei, atque adeo dant eis pretiosiora, quam ab iisdem accipiant; dant spiritualia, recipiunt corporalia. Prodeat Abraham patriarcha, qui, cum sacerdos Melchisedech proferens panem et vinum, benedixisset ei, statim dedit ei decimas ex omnibus, Gen. XIV. quo nimirum sacerdotis oblationem et benedictionem modo aliquo compensaret. Eandem nunc benedictionem, et ni fallor majorem, præstantiorem quoque hostiam offerunt sacerdotes laicis, quid magni igitur, si temporalia metant? Tertia ratio a potestate sacerdotum sumitur. Plantant enim Ecclesiæ vineam; igitur potestatem habent super eam, ut de ejus fructibus comedant et bibant.

V. Peccati gravitas, cum non dantur. Imprimis enim qui non reddit decimas quas debet, sacrilegium admittit, de quo Hieron. ep. III. ait: *Amico rapere quidquam furtum est: Ecclesiam fraudare, sacrilegium est.* Queritur de hoc apud Malach. cap. III. Dominus, inquit: *Quia vos configitis me. Et dixistis: In quo configimus te? In decimis et in primitiis. Et in penuria vos maledicti estis, et me vos configitis gens tota.* Quid sibi volunt hæc verba? Paulo supra dixerat Dominus: *Revertimini ad me, et ego revertar ad vos. Et dixistis: In quo revertemur? Si affiget homo Deum, quia vos configitis me, q. d. quomodo revertar ad vos, si vos affigitis me (vel, ut est in Hebr. violentatis me,) quominus revertar ad vos? Sed queramus ulterius: Quomodo, Domine Deus, configebant et impediabant te in decimis, ne tu revertereris ad eos? Ut hoc intelligatur notandum quod gloss. ord. et Hugo card. ib. dicunt, nimirum tempore Esdræ fuisse maximam famem, unde Judæi fraudabant levitas in decimis, nec eas reddebant, ideo fugere in regiones suas compellebantur levitæ. Igitur ait Dominus: Quomodo revertar ad vos, si vos affigitis levitas meos in regionibus suis, ne revertantur ad vos, dum decimas eis non datis? Quo significatur, Deum discedere a populo, quando levitas expellit, et cum iisdem redire. Unde tam sedulo præcipit Dominus Israeli: *Cave ne derelinquas levitem in omni tempore, quo versaris in terra, Deut. XII. et iterum, c. XIV. Cave ne derelinquas eum, quia non habet aliam partem, etc.* vel sic: Quomodo revertar ad vos ut benefaciam vobis, si vos affigitis manus meas, ne vobis benefaciam, dum adeo ingrati estis, et decimam, quæ in gratiarum actionem Deo debetur,*

non datis? Hinc enim Plato fertur dixisse, quatuor esse difficilia, et quintum omnino impossibile: primum, servire superbo; secundum, petere ab avaro; tertium, negotiari cum mendace; quartum, tractare cum ignorante; quintum, benefacere ingrato, quod impossibile visum Platoni. Magna sane Judæorum stultitia: veluti si quis aviculam e cavea avolantem, per inediam vellet revocare, quin potius escam ei proponit: aut qui vellet ab altero extorquere donum, et interim eum palo affligeret, quin potius ei manus dimittit ut largiri possit. Ita egerunt tunc Israelitæ, et agunt nunc quam plurimi, dum in annona fraudibus utuntur, decimas detinent aut defraudant volentes sic occurrere egestati: cum tamen ob id ipsum causent egestatem. Dando enim quod debent, ditiores fient: retinendo autem injusta pauperiores. Unde Hebræis, Prov. est: *Da decimas ut ditescas.* Vel configunt isti Deum, quia eum contristant et affligunt ac de novo quodammodo clavi et lancea configunt, dum subtractione decimarum ministros ejus expellunt, sicque efficiunt, ut Dei cultus negligatur et religio pessumdetur: vel denique, quia eum in membris suis, pauperibus, crucifigunt. Sane Augustinus de doctrina christ. ait: « Decimæ ex debito requiruntur, et qui eas dare noluerint, res alienas invadunt. Et quanti pauperes in locis suis ubi ipse habitat, illo decimas non dante fame mortui fuerint, tantorum homicidiorum reus ante æterni judicis tribunal apparebit. »

VI. Pœnæ fraudatorum. Prima frugum defectus, ut supra ex Malach. III. audivimus: *Quia vos configitis me in decimis et primitiis, in penuria vestra maledicti estis, super quem locum ait S. Hierony. « Quia non reddidistis decimas et primitias, ideo in penuria et fame maledicti estis; quia dum parva subtrahitis, ubertatem possessionum vestrarum et totam abundantiam frugum perdidistis. Sciatis vos ideo perdidisse abundantiam, quia fraudastis me parte mea. Moneo igitur ut reddatis mihi mea, et ego restitutam vobis vestra: » et rursus: « Si quando fames et penuria rerum omnium, egestas opprimat mundum, sciamus hoc ex ira Dei descendere, qui se in pauperibus, si non accipit eleemosynam, fraudari loquitur, ut suas possessiones possimus decimas et primitias interpretari. » Septem illæ vaccæ macilentæ, de quibus somniabat Pharaon, Gen. XLI. quod pleborarent septem alias vaccas pingues, nullum saturitatis dedere vestigium, sed simili macie et squalore torpebant: sic ejusmodi helluones decimarum, non modo non ditantur ex illis, sed etiam de-*

pauperantur; aut certe simili semper macie et fame torpent. S. Aug. Jer. CXCIX. de temp. scribit: « Elige tibi unum de duobus: aut da Deo decimam partem honorum tuorum et relinquet tibi novem partes, aut si retinueris decimam partem et nihil dederis de substantia tua in sustentationem, tunc Deus auferet novem partes, et vix decimam concedet. » Audite quid de Dania referat Joannes archiepiscopus Upsalensis, in hist. Gotthor. l. XVIII. XIII. Saxo gramm. lib. XI. hist. Danor. aliique, anno Christi 1088. Canutus rex cum summo ac pio studio contenderet, ut Christi ministris liberalius et commodius de decimis et primitiis provideretur, insigni ejusdem Blacconis perfidia traditus, ab insana plebe trucidatur. Quo facto tanta frumentorum penuria universam Daniam invasit, ut maxima populi pars, alimentorum inops, inedia consumeretur. Enim vero abunde seges finitimis erat, ut privata gentis, non publica terrarum ultio videretur. Nec prius Danicis agris fecunditas restituta est, quam populus ad cor conversus, penitentiam ageret, se tam sanctum regem occidisse, qui tam justa et honesta pro Christi ministris postulasset. Jamque experimento didicerant se juste novem frumentorum partes amisisse, qui decimam ex eis Deo et Dei ministris reddere noluerint. Exemplum aliud ex vita B. Anselmi Cantuar. episcopi, refertur in spec. exemplor. tit. de decimis, de quodam ejus subdito non dante decimas, cujus horreum cum vidisset sanctus, vidit super id sedentem diabolum. Quæsit igitur e viro, cur horrea non explevisset, sed propemodum vacua haberet anno illo. Et ille: Mirari se quoque paucitatem frugum, licet omnes illuc reponerentur, etiam sine redditione decimarum. Quod ubi intellexit sanctus, fecit extrahi et decimari, atque sic reponi. Mirum, cum reponerentur fruges, ita multiplicabantur, uti vix ab horreis caperentur.

Secunda, substantiæ dissipatio; de qua S. Aug. XVI. q. VII. c. majores, ait: « Majores nostri copiis omnibus abundabant, quia decimas Deo dabant, modo autem quia discessit devotio Dei, accessit indictio fisci. Nolumus cum Deo partiri decimas, modo autem tollitur totum: hoc tollit fiscus quod non accipit Christus. » Et iterum in libro de doctr. christ. *Dabis impio militi, inquit, quod non vis dare sacerdoti.* Addam ego, dabis judici, dabis medico, dabis furi, etc. Sunt enim decimæ, uti et alia bona ecclesiastica veluti pennæ aquilarum, quæ, ut refert Aristoteles, l. IX. de animal. cap. II. et Plin. l. X. c. III. commixtæ alii pennis, eas devorant, et putrescere faciunt. Sic decimæ, utpote per rapi-

nam acquisitæ, absumunt secum bona alia, etiam juste acquisita. Unde simili in causa, de pretio Christi aiunt Judæi: *Non mittamus eos in corbionam, quia pretium sanguinis est.*

Tertia, damnatio. Nam ut August. de doctrina christ. ait: *Hæc est Domini justissima consuetudo, ut si tu illi decimam non dederis, tu ad decimam revoceris; id est, dæmonibus, quæ est decima pars angelorum, associeris.*

Quarta, pœna canonica et excommunicatio, ut in c. Tua nobis, etc. statuimus de decimis.

VII. Retributio multiplex fideliter largientium. Prima, fructuum abundantia. De hac Malach. III. *Inferte omnem decimam in horreum meum, et sit cibus in domo mea, et probate me super hoc, dicit Dominus: Si non aperuero cataractas celi, et effundero vobis benedictionem usque ad abundantiam: et increpabo pro vobis devorantem, et beatos vos dicent omnes gentes.* En quatuor retributiones, quoad fruges pluvia scilicet copiosa et congrua benedictio Dei super fruges, ut possint crescere: increpatio nocentium, locustarum scilicet et bruchorum, etc. Laus et nomen coram aliis propter frugum scilicet abundantiam et propter obedientiam. Exemplum scribit Odo cancell. Paris. in serm. et Cæsarius Heisterbac. item in ser. de nobili, qui si ejus segetes aliquando grandine ferirentur, a dispensatoribus suis damnum exigebat, dicens: *Si fraudem non fecissetis in decimis, Deus non me flagellasset.*

Secunda, sanitas corporis. De hac August. in c. Decimæ, XVI. q. I. *Si decimam, inquit, dederis, non tantum abundantiam fructuum, sed etiam sanitatem corporis consequeris.*

Tertia, gratia et gloria. De qua ait S. Aug. in c. Decimæ, cit. *Qui præmium parare aut peccatorum indulgentiam habere desiderat, decimam reddat, et de novem partibus eleemosynam dare studeat.*

Ratio horum est, quia decimarum solutio est actus præstantissimæ virtutis, religionis videlicet. Nam primo, est species quædam oblationis, quia etsi non dentur Deo immediate, dantur tamen mediate in clericis, ejus ministris, qua tales sunt, et divinum cultum peragunt. Secundo, quia est honor quidam exhibitus Dei servis, qui redundat in ipsum Dominum. Tertio, quia qui solvit decimas, cooperatur precibus, sacrificiis, sacramentorum administrationibus, aliisque religiosis operibus, quæ a clericis fiunt. Quomodo enim in actus illos clerici intenti esse possent, si sustentatio illis deesset? Ut argo sacerdotes velut lampades lucere possint in Ecclesia, ipse oleum suppetit. Denique, ni solverentur decimæ, res divina langueret, si nimirum sacerdotes victu destituti, laborare cogentur manibus: